

teris cum tibi usu uenerit commentando, incolumi amicitia, ac bona mea gratia, tantisper dum id facies ueritatis asserendæ studio, non mihi obtrectandi. Vale rursus. Parisijs. VIII. Calend. Nouembres. M.D.XVIII.

GVLIELMVS BVDAEVS PETRO
BEMBO PATRICIO
VENETO S.



T ad te scribere instituerem, homo nec familiaritate tibi, nec necessitudine, nec alio iuris, aut amicitia uinculo iunctus, nec aliàs aut usu aut oculis cognitus, singularis tuæ humanitatis & doctrine fama fuit in causa. Christophorus Longolius iuuenis nostri ordinis, apud bonam partem nostratium hominum gratiosus, honoris habitus, quum recens istinc redisset, meque ueterem satis amicum, non inter postremos uiseret, & salutare, multa nobis de peregrina eruditione, moribusque Romanis adactus narrare percunctantibus, Sadoletum & Bembum, Bembum & Sadoletum alternis propè uerbis in ore habere, ac comendare solebat: non à doctrina modo, literarumque splendore pec cunctam Italiã illustri, sed etiã à probitate morum in omneis benefica. Comemorabat aut quid sibi negocij istic facessitum fuisset, in quod genus controuersia ipse attractus esset: & à quibus obtorto penè collo in iudicium raptus: proptius ut nihil factum fuerit, quàm ut inimicorum atrocium factione opprimeret homo peregrinus, in alieno foro stupens, in arena sibi incognita deprehensus: nisi uestra æquitas, & humanitas homini coitione circumuento suppetitas tulisset, & manum, orationem, opem prolixè accommodasset, lapsantem iam & penè afflictum subleuasset, in gradumque reposuisset, exitu rei patronis, reoque ipsi peregrinitatis honorifico. Huius officij rationem, consilium, propositum

eiusmodi esse nemo nō intelligit, qui quidem intellectus compos sit, ut non homini id tribuisse, non gratiæ referenda rationem habuisse, nō deniq; uestris cōmodis seruiisse uideamini: sed Mineruæ (ut ita dicam) & Musis sacrificij genere & pio, & honesto litare uoluisse. Quænam enim tandem casuum uarietas, quæ rerum uicissitudo existere olim, aut propediem tanta potest, ut tu rem quampiam desiderare possis, cuius aut ille, aut quisq; peregrinorum copiam tibi factururus sit, aut potestatem? Necq; uero tale solum germanæ id probitatis documētum, eiusdemq; Romanæ, sed etiam tantum fuit, si pro dignitate rei æstimetur, ut nō ad unum Longolium, sed etiam ad Budæum, ad omne nomen Gallicum, ad omneis deniq; literarum meliorum studiosos pertinere uideatur. Quo fit ut mea quoque causa, omniumq; nostratium & nostri ordinis hominum, id tecum Sadoleto facinus suscepisse debeam? existimare: idq; beneficium non magis in priuatas tabulas referendū esse, quàm in publicas nationis studiosorum. Εξήρωσο ἄνδρ' εὐγνωμονέσατε, καὶ σύσκησόν με τῆ ψυχῆ σὺ τῆ ὑπὲρ τοῦ φοίβου κατόχῳ. οὐδ' ἔμ' γὰρ ἄρ' ὑπὲρ πλείον' ποιησαί μιν ἔγωγε τ' ὑπὲρ τοιαύτης δὲ ψυχῆς ἀφιλήθης, ἐπιφκείατε διαφύσεως καὶ καλλιπείας εὐδοκίμδσης. ὥστε οὐδ' ἄρ' ἐρασμιωτάτῳ παιδὸς πλῆθους τῶτων ἰ' αὐταλλαξά μιν τ' ἔρωτα εἴητε τετυχηκῶς εἰλω ἐκεῖνῳ. Vale rursus, Parisijs. XVII. Calend. Septembres. Anno. M.D.XIX.

GVLIELMVS BVDAEVS IACO
BO SADOLETO EPI
SCOPO S.



Quam probe & commode natura constituta est, ut quæ res omnium maxime rerum paucis amplexabilem sese retinendamq; indulget, eadem res ipsa (quam uirtutē uocamus) nulli non